


# Laibacher Diözesanblatt.



Inhalt: 60. Literae pastorales Archiepiscoporum et Episcoporum Austriae ad Clerum. — 61. Facultates quoad Regularium bona vendendi, locandi etc. prorogatae. — 62. Quaestiones pro conferentiis pastor. anni 1892. — 63. Die Besorgung und Entlohnung des Religionsunterrichtes an den öffentlichen Volksschulen Krains betreff. Erlass des f. f. Landesschulrathes. — 64. Einladung zur Einführung des Pränumerationspreises für das „Diözesanblatt“ pro 1891. — 65. Concurs-Berlaubnung. — 66. Chronik der Diözese.



60.

## INFRASRIPTI

### ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI AUSTRIAEC DILECTO ET VENERABILI CLERO SUO SALUTEM IN DOMINO!

*Venerabiles fratres! In praeclarissima illa epistola, quam dedit ad nos Sanctissimus Dominus noster die 3. mensis Martii anni currentis quamque vobiscum communicavimus, dicit se laetari, in Austria nostra „tam multa esse tamque egregia in omni recte factorum genere vel studia vel opera“. Quae quidem verba Sanctissimus Pater ad venerabilem quoque clerum laetus refert simulque ei monita quaedam addit, quae nos in sequentibus litteris aliquantulum volumus illustrare.*

#### I.

Jure merito Sanctitas Sua ingemit super crescentem erga s. Ecclesiam hostilitatem. „Neque sine acerba fuit aegritudine conspexisse Ecclesiae hostes, pessimo foedere conjuratos, moliri ac tentare omnia, ut admirabile istud aedificium, quod per fugio humani generis extulit Deus, convellerent atque adeo, si fieri posset, exscinderent. — Quae nimirum longe lateque in Ecclesiam Christi ardet dimicatio, etsi variis pro varietate locorum artibus armisque exercetur, hanc demum unam habet eandemque rationem belli praescriptam: a familiis, a scholis, a legibus, ab institutis vestigia

„religionis delere omnia, Ecclesiam ipsam facultibus suis et insigni qua pollet in commune bonum virtute spoliare, perniciosissimam errorum pestem in omnes venas domesticae civilisque communiatatis infundere. . . Ex tantis catholico nomini „injuriis illatis multa in nationes ingentiaque mala profluxerunt et profluunt. . . Neque alia sane erant consecutra; nam debilitato eove deterius rejecto firmitatis praesidio, religione, nutant omnia et labefactantur ipsis fundamenta civitatis.“

Nos igitur vosque, venerabiles fratres, Sanctissimus Pater advocat, ut simus ejus in propugnanda fide catholica tuendaque societatis humanae salute adjutores fideles.

Quae tamen verba Vicarii Christi certissime non ad bellum nos evocare volunt: Jesu Christi enim servi non pugnant pugnandi libidine; aequo nos potius pacem amemus, ac Jesus Christus amavit eam; sed pacem veram, quae de corde puro, de conscientia bona et de fide non ficta profluit, non falsam, quae fideles nobis creditos contra incursus in summa eorum bona aeternaque factos traderet indefensos et inermes. Neque aliud actiones nostras dirigat gubernetque oportet nisi

Dei amor, qui a nobis expostulat, ut animas semper in omniue rerum vicissitudine doceamus, in veritate conservemus et contra errores corruptelasque temporum decursu orientes securas reddamus.

Vobis, animarum pastores! qui nobiscum vocati estis ad regium vexillum christiana fidei morumque christianorum sustentandum, vobis in hoc mundo, e quo sensum christianum delere conantur, predifficile munus incumbit, cuius pondere oppressi facile animum demittere tentaremini effusumque delendi nominis christiani aestum perniciosum suum cursum, peragere sineretis. At sint licet maxima difficultates vobis superandae; minentur licet frustratae spei deceptions: zelus salvandi animas, quas Christus Dei Filius sanguine suo redemit, omnem pusillanimitatem superet fugerque necesse est. Non licet subtrahere vos neque desinere duces esse in pugna, qua certatur pro gravissimis sanctissimisque hominum bonis. Recogitate vero, dilectissimi fratres, eo validiores vos fore, eoque feliciores eventu in hac pugna pro sanctissimis Dei Ecclesiaeque juribus committenda, quo magis hunc finem solum intueamini omniaque studia aliena e munere vestro exscindatis: quo magis vita vestra sublimi status vestri dignitatis conformis; quo magis in eis, quae tractatis, concordes sitis inter vos unionemque illam re vera colere studeatis, quae vos cum praesulibus vestris conjungat oportet.

Vos estis sal ad hoc destinatum, ut morum putredinem a populis arceatis: nolite permittere, fratres dilectissimi, ut sal evanescat et putridum fiat saecularibus studiis inserviendo. Quo magis ejusmodi studia a christiana fidei principiis aliena sunt hominumque genus odio discordiisque scindunt, eo magis sacerdotibus incumbit, ut unionis per Jesum Christum sociandae vexillum extollant, ut animos contrariis studiis separatos reconcilient, ut omnibus omnia esse, sicut ait Apostolus, studeant mundumque convincant esse arctissimam omnium populorum unionem in Ecclesia catholica fundatam. Utinam munera vestri labores non frustretis sectando consilia ab Ecclesiae mente aliena! Utinam omnia vestra studia hunc in finem diri-

gatis. Christus in omnibus et Christus super omnia! Neque ullo modo hominum voluptatibus serviatis neque cedatis, sed cura indefessa gregi vobis concordito adhibita vitaque omni culpa pura ovibus vestris sal terrae sitis verique benedictionis fontes! Vacate quotannis, si fieri potest, sacris exercitiis, quibus spiritum vocationis optime renovare debetis. Nec minus illam tueamini auctoritatem, quae Christi Domini verbo Sanctique Spiritus operatione in Ecclesia perseverans vestrae ipsorum auctoritatis radix est atque origo; ita ut unitate concordiaque nobiscum arctissime conjuncti phalangi illi similes sitis, qua Gedeon prostravit Madianitas.

## II.

Inter remedia vero temporum nostrorum periculis adhibenda Summus Pontifex PP. Leo XIII. in praeclarissimis litteris encyclicis die 20. mensis Aprilis 1890 editis imprimis expostulat, „ut mores corrigantur et pietatis sensus augeatur.“ Veram equidem pietatem colere virtutesque fovere gravissimi momenti est radixque salutis humanae societatis. Quod vero munus pree omnibus clero incumbit.

Quamobrem, venerabiles fratres, omnem operam impendite, ut ad sacra publica fideles alliati summa cum dignitate et decore ea celebrando, diligenter tempus pro eis peragendis statutum servando nimiamque prolixitatem evitando. Indesinenter edocete oves vestras quaecumque sunt necessaria ad aeternam salutem, sed in concionibus argumentis quoque solidis atque sermonis ornatu mentes capere animosque movere studete. Frequentiorem dignumque Sacramentorum usum commendate, sed commodam quoque eis utendi occasionem praebete, ne ullo praetextu excusari possint monita vestra spernentes. Ut breviter dicamus, omnia officia erga fideles curiae vestrae commissos vobis incumbentia adimplete secundum cor exemplarque Jesu Christi, pastoris divini, qui docuit nos, ut in omnibus viis interque omnes aerumnas sedulo quaeramus oves perditas.

Gregibus vestris interdum singularem quoque renovandi et redintegrandi spiritum pietatis occa-

sionem praebeatis, ad quem finem sacras missiones preeprimis aptas esse compertum habetis.

Militibus curae vestrae commissis magnam impendite sollicitudinem; ubi vero curati militares funguntur concordiam cum eis fovete auxiliumque eis pro viribus praebeete.

Gravissimum vero nobis esse videtur, ut religiosis juventutis indigentias provideatis. „Nam ea“, ut inquit Sanctissimus Pater in suis litteris encyclicis *Humanum genus* d. d. 20. Aprilis 1884, „spes est societatis humanae“. In praesenti omne, quod in nobis est, studium adhibendum erit, ut animi parvolorum, quos Salvator Noster singulari complectitur amore, fide catholica ejusque praeceptis atque divinae gratiae conciliandae viis sedulo et accurate instituantur. Quae vero docetis parvulos, ea sint plana, enucleata, polita, ad ingenium eorum accommodata, cognitu perfacilia, iterum atque iterum pertractata, tali ardore et fervore proposita, ut mentes illuminent cordaque allicant.

Quamobrem vobis commendamus magnopere, ut ubi fieri potest, pro pueris puellisque in scholis congregatis singulis diebus festivis et Dominicis missae Sacrificium cum brevi homilia ab officio divino pro adultis parochianis separatum celebretis. Imprimis satagite, ut pueri puellaeque quam accuratissime ad primam confessionem, qua nihil est gravius, praeparentur; a prima enim pendent fere omnes vitae ulterioris confessiones; neque omittatis ad alias quoque confessiones sedulam instructionem reiterare. In excipiendis autem confessionibus magna patientia et invicta caritate paterna vos armatis neque nimia celeritate eas tractetis, sed potius alios confessarios in vestrum subsidium adhibeatis. Onus difficile, labor fructuosus!

Nec minus commendatam volumus zelo vestro pastorali adultam juventutem, quae schola absoluta e domo patria ad alia transit ediscenda vel tractanda. Quorum parentes haud raro omnia se optime fecisse putant, si filios filiasve, cura salutis eorum omnino fere posthabita, in quolibet loco collocaverint. Attamen quis vestrum est, qui nesciat,

aetatem juvenilem permultis et internis et externis temptationibus periculisque esse expositam, unde accidit, ut tot adolescentes a fide deficiant moresque corrumpant? Cui ovium parti eximiae maximam, hortamur, adhibeatis curam, ut juventus annis peractis periculosis conscientiam servet immaculatam. Quamobrem pueros puellasque in pias sodalites congregate, et ut instructioni christiana adsint, quantum fieri potest, curate.

Quae quidem supra vobis exposuimus, ad ordinariam curam pastoralem spectant, sed saepius evenit, ut pastores ovium extraordinario modo curam animarum exercere debeant, e. gr. pro famulis domesticis ancillisque instituenda missa prima summo mane diebus festivis et Dominicis, pro opificibus concionibus vespere illis diebus habendis etc. Huic labori nolite vos subtrahere, ut cum Apostolo jure dicere possitis: „Caritas Christi urget nos.“<sup>1)</sup>

### III.

Perpendite vero, fratres dilectissimi, tempore nostro plus a vobis requiri quam ut impletatis officia curae pastoralis stricto sensu nuncupata. Neque enim hodie sufficit sacris functionibus incumbere intra templorum parietes. Sacerdos omnibus gregis concredi necessitatibus consulere et servire debet maximeque ad se pertinere sciatis de omnibus, quae ejus salutem fovere possint. Meminisse enim juvat, quod ait Apostolus: „Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?“<sup>2)</sup> „Omnibns omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.“<sup>3)</sup>

Itaque vestrum quoque est dirigere societas illas ecclesiasticas, quibus ut fideles populi nomen dent, hortante Summo Pontifice per litteras pastorales monuimus. Hoc quoque munus religiosa industria exsequamini tanquam Dei et Ecclesiae negotia tractantes et memores monitionis, quam dedit S. Paulus discipulo suo dilecto Tito: „In omnibns te ipsum praebe exemplum bonorum operum.“<sup>4)</sup> — et iterum Timotheo, cui praecepit:

<sup>1)</sup> II. Cor. 5, 14.

<sup>2)</sup> II. Cor. 11, 29.

<sup>3)</sup> I. Cor. 9, 22.

<sup>4)</sup> Tit. 2, 7.

„Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate.“<sup>1)</sup>

Quas inter societas praे omnibus vobis commendamus praeclara illa sodalitia, quae a S. Vincentio, S. Elisabeth et B. Agneta nuncupata aliaque hujusmodi pro scopo habent juvandi pauperes. Hae consociationes antiquam illam pauperum curam continuata pietate vere exerceant, quae a primis jam temporibus viguerat in Ecclesia adeoque nulla alia ratione compensari possunt; neque per nova illa nostri temporis beneficentiae colendae sodalitia, quae philanthropiae splendidum nomen sibi arripiunt, neque per novissima illa haereticorum studia, qui antiquam Ecclesiae curam pauperum restauraturos se esse gloriantur, ecclesiasticam autem calumniari non desinunt. Itaque sodalitatibus illis ecclesiasticis favete, quae non solum ut corporales spiritualesque miserias tollant propositum sibi habent, sed ipsos quoque sodales sanctificare satagunt.

Porro societatem christianarum matrum familias commemoramus, cujus summopere salutares cerni possunt fructus; societas deinde juvenum virginumque, quae optime congregationum B. Mariae Virg. nomine et tutela nuncupatarum forma florent, sodalitia quoque opificium tum tironum, tum adiutorum, tum magistrorum, foedera mercatorum virorumque catholicorum, nec minus foedera ad conficienda paramenta cultui divino inservientia, sodalitates denique operariorum tam virorum quam mulierum: quae omnia vobis ad parochiarum vestiarum circumstantias respectu habito, enixe commendata volumus.

Egidem gaudemus, venerabiles fratres, quod inter vos haud pauci inveniantur presbyteri, qui magna industria hanc vineae Dominicæ partem colunt et societas erigendo et bene eas dirigendo. Scimus insuper, quantum novum onus hisce monitis humeris vestris imponere studeamus. Ast proh dolor! numerus operariorum tam exiguis est! Attamen laboribus istis se subducere non licet; apostolicus autem zelus animarum numerum vestrum

augebit laboresque atque aerumnas cumulatas reddet suaviores. Erga divinum pastorem amor, cuius ministri sumus, fervorem vobis infundet et ab erroribus vos praeservabit.

Neque enim nescimus, venerabiles fratres, in hac cura cum sodalitiorum christianorum directione conjuncta haud pauca vobis parari pericula, quam obrem monitos vos volumus de quibusdam magni momenti rebus, quibus attendentes securi tutique esse possitis.

Societas istae, de quibus sermo est, ecclesiasticae sunt; ecclesiasticae igitur subsint directioni; quae in singulis parochiis eriguntur, parochio proprio ejusque cooperatoribus subditae sint, ceterae vero alii viro ecclesiastico. Praeses vero consultorve spiritualis societatum ab Ordinario loci designetur necesse est.

Cum vero animarum consensus vires multiplicantur, in quibusdam sodalitatibus consonum est, ut consociationes instituantur totam dioecesim sive majorem ejus partem amplectentes; semper vero praesidi dioecesano aequo ab Ordinario loci nominando subsint.

Omnes autem praesides seu consultores loci Ordinario rationem de gubernio societatum reddere tenentur.

Scitis denique, fratres dilectissimi, non decere clericos per negotia saecularia a divino ministerio abduci, quae ipsa pericula haud exigua afferunt. Quare districtissime prohibemus, ne praesides consultoresve spirituales, si quae forsan pecuniae deponantur, earum curam suscipiant, quod praecipuum ad societas saeculares non spectat.

Curate praeterea, ne oblectationum libido pestis ista temporibus nostris longe lateque dominans, societas invadat. Permitentes vero aliquam subinde festivitatem videte, ne brevi temporis intervallo se excipient omnibus sedulo exclusis, quae offendiculo esse possint.

Ipsi denique vigilate, ne periculis in directione societatum piarum vobis imminentibus succumbatis, vosque ubique et in omnibus ut Dei ministros exhibete.

<sup>1)</sup> I. Tim. 4, 12.

Tempora mutata novas inter homines indigentias invenerunt. Peculiariter vero nostris temporibus necesse est inopiae in dies crescenti grasantique paupertati remediis aptis mederi satagamus. Consociationes diversae jam ortae sunt, quae medicinam illam praebent. Agricolarum dicimus sociates, consociationes quae pro scopo habent excipiendi pueros puellasve feriarum tempore in locis sanitati conduceantibus, curandis reis e carceribus dimissis opem ferre. Hae in quantum propositos habent fines, attamen catholicae fidei non adversantur nec fundamentis nituntur antichristianis, omnino non curare, fratres dilectis simi, non potestis.

Ad tollendas autem quasdam novas temporum necessitates in Ecclesia ipsa orta sunt remedia et a religiosis praesertim familiis coluntur. Pertinent huc instituta puerulis custodiendis educandasque destinata, scholae porro ediscendi rei familiaris administrationem, nec non artium juvandarum acusque tractandae causa institutae. Quae instituta a religiosis familiis maxima dexteritate atque diligentia gubernata partem magnam ad solvendam socialem, quae dicitur quaestionem habent et apud inferioris mediaeque classis homines maiorem in dies gratiam fiduciamque sibi conciliant. Huc accedit, quod piae moderatrices sive directe sive indirecte alumnorum animos movere nituntur, ut excitent in eis solidum omnique tempore perduraturum pietatis sensum. Talia igitur instituta ut erigantur et promoveantur omni industria studeatis, eaque virorum ecclesiasticorum, parochorum praesertim cordibus vix satis enixe commendare possumus.

Omnes vero ejusmodi labores, venerabiles fratres, non solum exigunt, ut apostolico zelo eos subeat, qui utiliter cumque salubri effectu ad eos incumbere vult, sed ut bene etiam eos intimamque eorum naturam perspectam habeat; quod nemo assequi potest, nisi qui sociales, quas vocamus, nostri temporis conditiones diligentissimo studio perscrutatus sit. Rogamus ergo vos, ut studia, quibus vacatis, in has quoque quaestiones convertatis, inquirendo causas aerumnarum, quae socie-

tatem humanam tantum in discrimen adduxerunt, remediaque, quibus auxilium ferri possit, sedule investigando.

## IV.

Austriae catholicae, monente Summo Pontifice pernecessarium esse innuimus, ut omnium vires conferantur in libros, diaria similiaque arte typographica in vulgus edenda in sensu catholicō necnon adjuvanda atque promovenda. Quod munus honorificum venerabili quoque clero incumbit, qui vocatus est, ut moveat dirigatque laicos homines, et publicas ephemerides doctrinae catholicæ consonas inter oves sibi commissas propaget, malas vero amovere studeat. Sed aliud quoque munus implendum venerabili clero erga diaria incumbit, operis consortem se praebere, ut in votis est Sanctissimi Patris monentis, „ut clerus eisdem benigne faveat sacraeque afferat doctrinae praesidia.“

Aliud denique emolumentum haud spernendum reputamus, si diariis catholicis vos operis consortes exhibeatis. Saluberrimum scilicet Summus Pontifex fore confidit: „si suae propriaeque ephemerides veluti pro aris et focis propugnantibus unicuique sint regioni“, attamen idem addit: „eo modo institutae, ut nulla in re a judicio Episcopi abscedant, sed recte studioseque cum ejus concordent prudentia et voluntate.“ Quis vero melius has mediatoris partes explere poterit venerabili clero? Quis scriptores catholicos melius docebit, quae sit vera Ecclesiae utilitas quibusque mediis haec optime possit promoveri? Quis melius prohibebit, ne falsus immoderatusve zelus scriptores etiam catholicos abripiat, ut in ipsam auctoritatem ecclesiasticam invehantur, suspicionesque maximo catholicæ plebis damno ingerant, injustis objurationibus eandem prosequendo? Optime ad haec omnia aptus est venerabilis clerus, qui arctis vinculis Episcopis conjunctus, eos tamquam duces a Deo sibi constitutos existimat, in eorum arcta unione suam ipsius auctoritatem, in eorum honore suum ipsius honorem conservat et tuetur.

Attamen si quaedam speciatim monenda sunt de propagandis catholicis scriptis, attendere vos

volumus summam utilitatem, quam afferunt praesertim ephemerides catholicae pro diebus Dominicis editae; ipsae enim imprimis hominibus, qui diebus ferialibus multum occupantur laboribus, Dominicis festisque diebus jucundam praebent oblectationem, animum bonis cogitationibus nutriendi, imo veritates quoque salutares in sermone festivo auditas in mentem revocare et fovere possunt.

Neque silentio praeterire possumus, quam utiles sint bibliothecae pro parochianis institutae, per quas libri fidei moribusque perniciosi e fidelium domibus manibusque extrudi possunt.

Venerabiles fratres! Magna sunt officia, de quibus implendis vos monitos esse voluimus exemplo et auctoritate Sanctissimi Patris: sed perpendite, de salute humani generis agi, si ea tractetis fideliter quae curae vestrae concedita sunt. Neque sine causa vos „lux mundi et sal terrae“ a Domino vocati estis. Quod pondus a Domino ipso vobis impositum nos a humeris vestris adimere nequivimus, cum Dominus dicat: „Ego elegi vos et posui vos, ut eatis et fructum afferatis.“<sup>1)</sup> Non

<sup>1)</sup> Joan. 15, 16.

ignoramus, quam grave onus vobis impositum sit; sed expendite, commune esse ideoque facilius illud a nobis una vobiscum portatum iri, quo arctius per mutuam caritatem juncti manebimus. Memineritis quoque, Jesu Christi jugum nos portare; quod ipse vocat suave et leve. Atque eo magis suavitatem inveniemus, quo fidelius et studiosius illud portaverimus.

Sive autem multum sive parum profecerimus, gaudium nostrum nemo tollet a nobis, quo repletus Apostolus scripsit: „Cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex“,<sup>1)</sup> et in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suae, etiam vos nobiscum Deo opitulante sedebitis judicantes tribus Israel.

Benedicat vos omnipotens Deus Pater † et Filius † et Spiritus † Sanctus. Amen.

Datum Viennae, in festo S. Elisabeth, die 19. Novembris 1891.

<sup>1)</sup> II. Tim. 4, 7 et 8.

**Frideriens Cardinalis Fürstenberg**, Princeps-Archiepiscopus Olomucen.  
**Franciscus de Paula Cardinalis Schönborn**, Princeps-Archiepiscopus Pragen.  
**Albinus Cardinalis Dunajewski**, Princeps-Episcopus Cracovien.  
**Antonius Josephus Cardinalis Gruscha**, Princeps-Archiepiscopus Viennen.  
**Fulgentius Carev**, Episcopus Pharen.  
**Severinus Morawski**, Princeps-Archiepiscopus Leopolin. Latinorum.  
**Aloisius Mathias Zorn**, Princeps-Archiepiscopus Goritiens. et Gradiscan.  
**Joannes Evang. Haller**, Princeps-Archiepiscopus Salisburgen.  
**Silvester Sembratowicz**, Archiepiscopus Leopolien. Halicien. Kiovien. et Camecen. Ruthenorum.  
**Isaac Nicolaus Isakowicz**, Archiepiscopus Lepolien. Armenorum.  
**Joannes Bapt. Zwerger**, Princeps-Episcopus Seccovien.  
**Matthaeus Josephus Binder**, Episcopus S. Hippolyti.  
**Josephus Joannes Ev. Hais**, Episcopus Regino-Gradicens.  
**Antonius Josephus Fosco**, Episcopus Sebenicens.  
**Joannes Nepom. Glavina**, Episcopus Tergestin. et Justino-politan.

**Franciseus Ferretié**, Episcopus Veglen.  
**Georgius Kopp**, Princeps-Episcopus Wratslavien.  
**Lucas Solecki**, Episcopus Premislien. Latinorum.  
**Ignatius Lobos**, Episcopus Tarnovien.  
**Emanuel Joannes Schöbel**, Episcopus Litomericens.  
**Franciseus Sal. Bauer**, Episcopus Brunnen.  
**Matthaeus Vodopié**, Episcopus Ragusin.  
**Simon Aichner**, Princeps-Episcopus Brixinen.  
**Jacobus Missia**, Princeps-Episcopus Labacen.  
**Joannes Bapt. Flapp**, Episcopus Parentin et Polen.  
**Martinus Josephus Rziha**, Episcopus Budvicen.  
**Eugenius Carolus Valussi**, Princeps-Episcopus Tridentin.  
**Josephus Kahn**, Princeps-Episcopus Gurcen.  
**Franciseus Maria Doppelbauer**, Episcopus Lincien.  
**Michael Napotnik**, Princeps-Episcopus Lavantin.  
**Philippus Nakié**, Episcopus Spalaten.  
**Colomanus Belopotoczky**, Episcopus tit. Tricalen., Vic. Apost. exercitus Austraci.  
**Julianus Pelesz**, Episcopus Premislien, Sanachien. et Samborian. Ruthenorum.  
**Julianus Kuilowski**, Episcopus Stanislaopolitan. Ruthenorum.  
**Simeon Pulissich**, Vicarius Capitularis sede vacante Jadren.

61.

## LEO PP. XIII.

## ad futuram rei memoriam.

Facultates de regularium bonis in Austriaco Imperio positis alienandis, deque oneribus imponendis super iisdem bonis, quas ad supremum Apostolatus officium, Divinae providentiae consilio evecti ex similibus nostris Litteris die XVI mensis Septembris MDCCCLXXX datis ad decennium protulimus, nunc omnibus hac de re inspectis, perpensisque, opportunum ducimus in aliud tempus prorogare. Quapropter motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostra Apostolicae Sedis Nuntio apud Carissimum in Christo Filium nostrum Austriae Imperatorem, Bohemiae et Hungariae Regem Apostolicum pro tempore existenti, vel ei qui ejusdem Nuntii vices pro tempore gerat, nec non Archiepiscopis, atque Episcopis et Praesulibus, ut vocant, nullius dioecesis in universa memorati Imperatoris Austriae ditione existentibus, iis tamen exceptis bonis, si qua in provinciis Italicis consistant, nec non Episcopo Wratislaviensi pro parte ejusdem dioecesis, quae in imperio Austriaco comprehenditur, ad aliud decennium a novissimo postremae prorogationis die computandum. Facimus facultatem cuique in sua dioecesi concedenti facultates sequentibus articulis comprehensas = I<sup>o</sup> = Alienandi bona regularium ordinum usque ad summam Florenorum octo millium monetae Austriae, sive stabilia ea bona sint, sive in publicis nominibus consistant, adjecta tamen conditione, ut pretium ex alienatione perceptum in aliorum bonorum stabilium seu censum acquisitionem convertatur, iisque deficientibus, pretium ipsum alia ratione fructuose, ac secure collocetur, exclusa qualibet negotiatione per sacros canones ecclesiasticis viris interdicta = II<sup>o</sup> = Imponendi bonis regularium onera, quae non excedant summam Florenorum duodecim millium rationem tamen ac terminum praeficiendo, quo aes alienum dissolvatur. Quod si necessariae instauraciones ac amelioramenta in aliquo regularium fundo occurrant,

neque aes alienum contrahi, et nonnisi per aliquus boni ad eosdem regulares pertinentis venditionem necessitati provideri queat, hoc in casu concedendi Facultatem perficiendi venditionem cum conditione, ut, si ex pretio percepto pars supersit, eadem fructuose collocetur rationibus superius expositis. Quod si vendenda bona sint, vel onera iisdem imponenda, *quae pretium excedant superius definitum*, eo in casu regulares suas deferre preces debebunt vel directe ad S. Sedem, vel ad Nuntium Apostolicum, cui proinde facultatem facimus petitam veniam concedendi, si hoc in domino expedire judicaverit = III<sup>o</sup> = Firmis manentibus ordinariis facultatibus causarum piarum pro ineundis locationibus et conductionibus ad triennium concedendi facultatem locationes et conductiones ipsas ineundi ad quindecim annos, servatis quod ad reliqua canonice praescriptionibus. Ad vitandos autem abusus nonnullos, et oksecundandum aliqua ratione consuetudini, quae in Austriaco imperio invaluit, ut bonorum ecclesiasticorum possessores, a respectivis conductoribus reditus, seu praestationes accipiant, facultatem concedendi reditus ipsos, seu praestationes percipiendi in antecessum ita tamen, ut illae quoad fundos urbanos non excedant summam, quae in semestri spatio a conductore persolvenda sit; quod vero spectat ad bona rustica, dummodo summam non praetergrediatur, quae a conductore per anni spatium persolvatur = IV<sup>o</sup> = In casibus urgentis necessitatis atque utilitatis religiosae Familiae, in quibus ad alienationem seu onerum impositionem sine mora deveniendum sit, facultatem largimur *absque praefinitae pecuniae summa alienationem perficiendi*, vel aes alienum contrahendi, ea tamen adiecta conditione, *ut in posterum ea de re ad Nuntium Apostolicum*, sive directe ad Sanctam Sedem singillatim accurateque referatur. Porro in omnibus et singulis casibus integrum semper esse

volumus facultatem postulationes ad Apostolicam Sedem directe deferendi. Volumus praeterea, ut in singulis hujusmodi concessionum casibus sive ab Apostolico Nuntio, sive ab Antistitibus dioecesanis Superior localis et respectivum Capitulum religiosae familiae audiatur, atque canonicae prae-scriptiones accurate serventur, ac praesertim Constitutio fel. me. Pauli II Praedris Nostri, quae incipit „Cum in omnibus“ edita die XI Maii MCDLXV, ac proinde in omnibus et singulis facultatibus, seu concessionibus volumus et mandamus, ut patet, ac probata sit religiosae familiae necessitas vel utilitas, eumque in finem in singulis item casibus non modo Superioris localis et respectivi Capituli consilium, ut supra dictum est, audiatur, verum etiam honesti nominis et probati judicii viri antea consulantur. Praecipimus denique, ut in omnibus et singulis actis venditionis seu alienationis, et onerum impositionis, atque etiam locationis ad annos quindecim mentio expresse fiat

facultatis ab Apostolica Sede concessae. Haec volumus jubemus, mandamus, non obstantibus Pauli II Praedecessoris Nostri aliorumque Praedecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus speciali licet mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die I. Septembris MDCCCLXXXI.

*Pontificatus Nostri Anno Decimo Quarto  
Loco † sigilli Pro Domino **Card. Ledochowski**  
T. Archiepiscopus Seleuc. Subst.*

*Concordat cum Originali quod in tabulario  
S. Nuntiaturae Apostolicae asservatur.*

In quorum fidem etc. Vindobonae die 11. Septembris 1891.

*Archiepiscopus Nicaenus Nuntius Apostolicus.*

## 62.

### Quaestiones pro conferentiis pastoralibus anni 1892.

#### I. Conferentia.

1. Exponantur et ponderentur, quae ecclesia praecipit de testamentis clericorum, ut consultatur scilicet et recto usui bonorum temporalium clericis ex servitio ecclesiastico obvenientium, et dignitati status sacerdotalis.

Quae proinde in condendis hujusmodi testamentis vitanda?

2. Quae et quam gravis sit obligatio sacerdotum in cura animarum constitutorum quoad munus catechizandi in scholis? Quis in parochia primus responsabilis, ut huic muneri rite satisfiat?

Quid censendum de substitutione magistrorum laicorum ad catechizandum: num facile admittenda? num in parochorum vel consiliorum scholasticorum potestate sita? et quae cautelae adhibendae, sicubi vere necessarium est, ut laicus ad catechizandum deputetur?

#### II. Conferentia.

1. Titus ecclesiae suae certam pecuniae sum-mam reliquit ea cum voluntate, ut ex annuis ejus fructibus missae anniversariae (scil. fundatae) pro ipso celebrentur.

Parochus vero haeredibus persuasit, ut, modifica-ta Titi voluntate, pecunia in missas currentes converteretur; quod et factum est, quin quisquam alius de hoc interrogaretur.

Alio simili in casu idem parochus pecuniam pro fundatione quatuor missarum relictam et pro eo numero sat superque sufficientem accepit quidem, sed pro duabus missis tantum, eo quod (ut ait) pecuniae pretium hisce temporibus valde incertum est proindeque providendum pro futuro.

Quaeritur 1º Quid statuunt leges ecclesiasticae de servandis piis voluntatibus? Quando et a quo eae modificari possunt? Num et quis in

casu ad restitutionem tenetur, ut Titi fundatio in effectum deduci possit?

Quaeritur 2º Quid statuunt leges ecclesiasticae de missarum reductione? Quibus ex causis, qualiter ad mensuram, a quo, et quantum ad tempus hujusmodi reductiones fieri possunt?

2. Quum in nostra Dioecesi jam septennes vel etiam septennio aliquanto minores ad s. confirmationem mittantur, perpendant RR. DD., annon praferendum, idque variis ex causis, ut in posterum non nisi ii ad confirmationem admittantur, qui primam S. Communionem jam acceperunt, vel saltem saepius ad sacram confessionem jam accesserunt.

Qua occasione quaeritur etiam, num provide agant ii sacerdotes, qui confirmandos 15 fere dies ante ipsam confirmationem ad s. confessionem

ducunt? et quomodo generatim agendum, ut digna hujus sacramenti susceptio quantum fieri potest in tuto collocetur?

NB. Permittimus, ut etiam hoc anno duae conferentiae in unam contrahantur; attamen non possumus, quin RR. DD. iterum iterumque moneamus, ut conferentiarum numerum augere potius quam minuere studeant.

Nulla porro conferentiarum praesidibus potestas dispensandi obligatos sive ex parte sive ex toto a solvendis et tractandis hujusmodi quaestionibus, sed in singulis casibus ad Nos recurrendum.

Observavimus porro, alicubi permultos et fere semper eosdem a conferentiis abesse solere, quod certe mirum apparere debet et non parum displicet.

### 63.

#### Erlaß des k. k. Landesschulrathes für Krain vom 26. Nov. 1891, Nr. 2629, betreffend die Besorgung und Entlohnung des Religionsunterrichtes an den öffentlichen Volksschulen Krains.

Der k. k. Landesschulrat findet in Durchführung des Landesgesetzes vom 5. December 1889, L.-G.-Bl. Nr. 22, betreffend die Bestimmungen über die Besorgung und Entlohnung des Religionsunterrichtes an den hierländischen öffentlichen Volksschulen im Einvernehmen mit dem krainischen Landesausschüsse nachstehende Verfügungen zu treffen:

1. Für die städtischen Volksschulen in Laibach werden im Sinne der §§ 1 bis 5 des citirten Gesetzes zwei eigene Religionslehrerstellen mit festen Bezügen systemisiert und gemäß § 6 dieses Gesetzes und des Landesgesetzes vom 29. November 1890, L.-G.-Bl. Nr. 23, in die erste Gehaltsklasse eingereiht;

2. von der Systemisierung eigener Religionslehrerstellen an den öffentlichen Volksschulen außerhalb Laibach wird bei Abgang der gesetzlichen Bedingungen abgesehen;

3. die Remunerationen für die Seelsorger, welche an vierklassigen Volksschulen den Religionsunterricht ertheilen, werden mit achtzig (80) Gulden jährlich festgesetzt. An mehr als vierklassigen Volksschulen, sowie an vier- und mehrklassigen Volksschulen mit Parallelabtheilungen und mit besonderen Mädchenklassen ist jede lehrplanmäßige wöchentliche Unterrichtsstunde in der fünften und in jeder höheren Classe, sowie in allen Parallelabtheilungen und in den Mädchen-

klassen mit zehn (10) Gulden pro Jahr zu remunieren;

4. den weltlichen Lehrern, welche bei Abgang eines Seelsorgers im Schulorte den Religionsunterricht ertheilen, werden für jede lehrplanmäßige Unterrichtsstunde Remunerationen im Sinne des § 5 der Verordnung vom 29. April 1880, L.-G.-Bl. Nr. 5, bewilligt; die Remuneration für den Religionsunterricht an der Bürgerschule in Gurkfeld wurde mit 200 fl. genehmigt;

5. Die Wegentschädigungen der Religionslehrer an Schulen außerhalb ihres Wohnortes gebühren ihnen nur dann, wenn der Wohnort derselben vom Schulorte über 1½ Kilometer entfernt ist; für jedes Kilometer des Hin- u. Rückweges wird die Entschädigung von neun (9) Kreuzer geleistet und werden diese Entschädigungen unter Festhaltung des Grundsatzes, dass bei ein- und zweiklassigen Volksschulen zwei, und bei dreiklassigen Volksschulen drei wöchentliche Fahrten erforderlich sind (vier- und mehrklassige Schulen außer den Seelsorgestationen sind nicht vorhanden), in Form jährlicher Bauhalbtäge festgesetzt.

Belangend das Ausmaß der Remuneration für die Seelsorger im Sinne des § 7 des Gesetzes wird bemerkt, dass nach § 1 des Gesetzes vom 20. Juni 1872, R.-G.-Bl. Nr. 86, die den Kirchen und

Religionsgesellschaften gemäß § 2 des Gesetzes vom 25. Mai 1868, R.-G.-Bl. Nr. 48, und § 5 des Gesetzes vom 14. Mai 1869, R.-G.-Bl. Nr. 62, obliegende Besorgung des Religionsunterrichtes in den öffentlichen Volksschulen die Verpflichtung zur unentgeltlichen Ertheilung dieses Unterrichtes in sich schließt, dass durch das Reichsgesetz vom 17. Juni 1888, R.-G.-Bl. Nr. 99, diese Bestimmung nicht aufgehoben, sondern nur, und zwar im § 3 ausgesprochen worden ist, dass für die Besorgung des Religionsunterrichtes an den höheren Classen einer mehr als dreiclassigen allgemeinen Volksschule oder an einer Bürgerschule Remunerationen zu ertheilen oder eigene Religionslehrer zu bestellen sind.

Das Landesgesetz vom 5. December 1889, L.-G.-Bl. Nr. 22, enthält nur die näheren Bestimmungen zur Ausführung des Reichsgesetzes (§ 5).

Daraus folgt nun, dass Religionslehrer an weniger als vierklassigen Volksschulen keinen gesetzlichen Anspruch auf Remunerationen haben, dass der Religionsunterricht auch in den ersten drei Classen vier- und mehrklassiger Volksschulen unentgeltlich ertheilt werden muss und nur der Unterricht in der vierten und in den höheren Classen zu remunerieren ist, wofür eben ob zwei lehrplanmässigen wöchentlichen Stunden der Remunerationsbetrag per 80 fl. entsprechend erscheint. Dagegen ist es billig, dass die Unterrichtsertheilung an jenen vier- und mehrklassigen Schulen, mit welchen Mädchenschuleklassen oder Parallelabtheilungen verbunden sind, die Mehrleistungen in diesen Classen oder Abtheilungen besonders entlohnt werden.

#### 64.

### Einsendung zur Einsendung des Pränumerationspreises für das „Diözesanblatt“ pro 1891.

Den etwa noch ausständigen Pränumerationspreis für das „Laibacher Diözesanblatt“ und den Anhang pro 1891 im Betrage per fl. 3,— wollen die P. T. Herren Abonenten

mittels Postanweisung an die fürstbischöfliche Ordinariatskanzlei einsenden.

#### 65.

### Concurs - Versautbarung.

Die Pfarrkirche Nevlje, im Decanate Kamnik, ist durch Resignation in Erledigung gekommen, und wird hiemit zur Bewerbung ausgeschrieben.

Die Gesuche um diese Pfarrkirche sind an den hochwürdigen Herrn Johann Oblak, Pfarrdechant in Kamnik, zu richten. Peremptorischer Competenztermin 30. Jänner 1892.

#### 66.

### Chronik der Diöcese.

Die canonische Investitur erhielten die Herren: Mathias Erzar, Pfarrcooperator in Ribnica, auf die Pfarrkirche Golo, am 17. Nov., und Mathias Kolar, Chorvicar und Domkaplan in Ljubljana, auf die Pfarrkirche Polje, am 27. Nov. 1891.

Herr Lorenz Gantar, Pfarrer in Črmošnjice, wurde für die Pfarrkirche Boštanj präsentiert.

Herr Jakob Lebar, Pfarrcooperator in Unter-Idrija, wurde als Pfarrvicar in Crni Vrh ob Idrija, und Johann Nemanjić, Pfarrcooperator in St. Juri pod Kumom, als Pfarrprovisor in Vrh ob Idrija angestellt.

Der Katechet an der Mädchenschule der Ursulinen in Laibach, Herr Anton Kržič, wurde zum Religionslehrer an der f. f. Lehrer- u. Lehrerinnen-Bildungs-Aufstalt in Laibach ernannt.

Herr Rochus Mreun, Stadtpfarrcoop. bei St. Jakob in Laibach, wurde als Katechet an der Ursulinen-Mädchenschule in Laibach angestellt.

Herr Anton Zorman, Pfarrer in Nevlje, wurde in den definitiven, und Herr Ignaz Zupanec, Vorstadtpfarrcoop. zu Trnovo in Laibach, in den zeitlichen Ruhestand versetzt.

Berzeugt wurden die Herren: Martin Nemanjić, Pfarrcoop. in Kostanjevica, als solcher nach Unter-Idrija; Valentin Vidergar, Pfarrcoop. in Polhov Gradee, als solcher nach St. Juri pod Kumom, und Johann Volk, Pfarrcoop. in Trebelno, als solcher nach Polhov Gradee.

Neuangestellt wurde Herr Johann Pfajfar als Pfarrcooperator in Mirna Peč.

Am 14. Sept. d. J. ist Herr Ferdinand Kogej, Pfarrvicar in Crni Vrh ob Idrija, gestorben und wird derselbe hiemit dem Gebete des hochw. Diözesan-Clerus empfohlen.

Vom fürstbischöflichen Ordinariate, Laibach am 15. December 1891.